

## DE OVIDII APUD POLONOS FATIS

Ovidium iam saeculo XII ineunte Polonis notum fuisse docet antiquissimus catalogus capituli Cracoviensis anno 1100 perscriptus, in quo inter alia scriptorum antiquorum opera etiam Ovidii Epistulae ex Ponto citantur. Neque est igitur cur miremur, si apud scriptores medii aevi Polonos, qui saeculis XII—XV vigeant velut sunt anonymus auctor Carminis Mauri<sup>1</sup> (saec. XII), Vincentius Kadłubek auctor Cornicorum Polonorum (saec. XIII), Adamus Porcarius<sup>2</sup> (saec. XV) et alii, Ovidii vestigia deprehenduntur. Saepe illis temporibus Polonos Ovidii poemata manibus versavisse documento sunt etiam 14 Ovidii codices saec. XIV et XV conscripti, qui in Bibliotheca Jagellonica asservantur. Non desunt etiam in eadem bibliotheca Pseudovidiana velut sunt De pulice, De anulo, De lupo, De arte amandi, Pamphilus, *trufator* bonus, et alia<sup>3</sup>. Rationem interpretandi allegoricam tum valuisse ostendunt commentarii in Bibliotheca Jagellonica asservati velut est e.g. commentarius q.i. Tabulae mythologicae explicatae ex Ovidio, in Bibl. Jag. nr. 491 asservatus<sup>4</sup> et alii<sup>5</sup>. Ac tamen iam a. 1433 primus humanista Polonus Gregorius Sanoceus novam quandam interpretationis Bucolicorum Vergilianorum viam ingressus esse fertur, a. autem 1449 instituta est nova cathedra poeseos in Universitate Jagellonica, interpretandis poetis Vergilio, Ovidio, Horatio, Terentio, Statio, Tibullo, Propertio destinata<sup>6</sup>. Inter hos poetas post Vergilium et Horatium tertium locum tenebat Ovidius. Etenim intra annum 1487 et 1563, ut ex libro diligentiarum Universitatis Jagellonicae comperimus, 153 semestria magistri Cracovienses Vergilio<sup>7</sup>, 83 semestria Horatio, 47 semestria Ovidio explanando tribuerunt<sup>8</sup>, cum e.g. Saturae Persi non nisi quindecies, Plauti fabulae non nisi sexties explicarentur. Quae

<sup>1</sup> *Cronica Petri Comitis Poloniae*, accedunt Carminis Mauri fragmenta ed. M. Plezia, Cracoviae 1951.

<sup>2</sup> cf. Th. Sinko, *De duobus Adami Porcarii carminibus*, EOS VIII (1902), 138 sq.

<sup>3</sup> cf. R. Skulski, *Pseudovidiana polskie* EOS XXV (1921/22), 122—135.

<sup>4</sup> cf. R. Skulski, *Mit o Piramie i Tyzbie w literaturze polskiej*, Lwów 1924, 5.

<sup>5</sup> G. Krókowski, *Ovidio in Polonia*, EOS L (1959/60), 160.

<sup>6</sup> M. Cytowska, *Recepcja poezji augustowskiej w Polsce*, Meander XI (1956) 69.

<sup>7</sup> C. F. Kumaniecki, *De studiis Vergilianis in Universitate Jagellonica priore saec. XVI parte florentibus*, Commentationes Vergilianae, Cracoviae 1930, 193—205.

<sup>8</sup> M. Cytowska o. c. 71.

cum ita sint, non est cur miremur, si etiam apud poetas Polono-Latinos qui saec. XVI vixerunt multos locos Ovidium redolentes inveniemus. Ceterum agmen ducit poeta non Polonus sed Italus, Philippum Callimachum Buonacorsi dico, qui cum exul ex Italia in Poloniam — anno 1472 commigravisset, apud Polonos viginti quattuor annos commoratus est regis Casimiri Jagellonidae consiliorum administer, poeta et scriptor celeberrimus. Quem iam ante suas peregrinationes, cum in Italia commoraretur, Ovidii exemplaria secutum esse docet optime epicedion in Dorotheam Gonzagam a. 1467 conscriptum, in quo plurima vestigia Metamorphoseon, Fastorum, Epistularum ex Ponto, Heroicorum, Tristium, Amorum deprehendi possunt<sup>9</sup>. Postquam autem in Poloniam venerat, syllogem elegiarum eroticarum, cui nomen Fannietum, indidit, conscripsit amasiae suae Fanniae dedicatum, Quae sylloge adhuc in codicibus latens plurimos locos exhibet, qui Musae Ovidianae originem debent. Cum hic tamen longum esset omnes hos locos enumerare, audientes ad bonae frugis plenam dissertationem Julii Domański<sup>10</sup>, relegando id tantum premere velim Callimachum exulem sese cum Ovidio exule saepius comparavisse nec non credidisse se in regione, in qua olim Ovidius commoratus esset, commorari coloresque quibus usus est Ovidius in regione sui exilii describenda, ad Poloniam depingendam a poeta Romano mutuatum esse<sup>11</sup>. Etenim iam primi versus elegiae primae: „Fannia formarum specimen regionis ab Arcto/ Algentis Borea perpetuaeque nive“ in mentem revocat Ovidii Tristia 1,2 qq: Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto. Ac tamen Callimachi exulantis fata non ita erant dura ut Ovidii, qui procul a patria nullum solacium reperire potuit, cum Callimacho solacium in terra peregrina praeberet Fannia; quae, cum Callimachus ita ut olim Ovidius (Pont. I, 6, 41) de suicidio cogitasset, consolata est eum his verbis: „Sponte sua properat“ dixit mea Fannia „letum“. Callimachi carmina amatoria ad Ovidii proprietii Tibulli exemplaria conformata tantopere Polonis erant grata, ut saepius transcriberentur<sup>12</sup>. Ac tamen saec. XVI-o ineunte ipsi iam Poloni poesin lingua Latina dotatam excolere coeperunt. Longa est series illorum poetarum Polono-Latinorum inter quos eminent: Paulus Crosnensis, Andreas Cricius, Joannes Dantiscus, Janicius, Joannes Kochanowski. Nimirum omnes hi poetae a me supra laudati (etiam Laurentius Corvinus<sup>13</sup>, qui saeculo XV exeunte Cracoviae studiis vacabat) haud semel Ovidii exemplaria imitatione expresserunt. Notandum est Joannem Dantiscum, qui et Metamorphoses et Fastos et Amores et Herodes saepius imitatus est<sup>14</sup>, etiam elegiam eroticam amasiae suae Gryneae dedicatam (a. 1516) composuisse, in qua cum Gryneae

<sup>9</sup> K. Kumaniecki, *Twórczość poetycka Filipa Kallimacha*, Warszawa, 1958, 49.

<sup>10</sup> J. Domański, *De Philippo Callimacho elegicorum Romanorum imitatore*, Wrocław—Warszawa—Kraków 1966.

<sup>11</sup> cf. J. Domański, o.c. 10 sq.

<sup>12</sup> K. Kumaniecki o.c. 105.

<sup>13</sup> cf. G. Krókowski o.c. 161.

<sup>14</sup> St. Skimina, *Twórczość poetycka Jana Dantyska*, Kraków 1948, 122—126.

valediceret celeberrimae elegiae Ovidianae (Trist. I 3), qua poeta Romanus patriae valedixit, memor illius elegiae exemplar ad imitandum sibi proposuit. Meminerat illos clarissimos versus Ovidianos (Trist. I 3,5):

ter limen tetigi, ter sum revocatus et ipse  
indulgens animo pes mihi tardus erat

et cum Gryneae valediceret, eos versus imitatione expressit (Dant XXVII, 97 sq.):

Ter conatus eram temonem vertere terque  
Obstiterat votis res peragenda meis.

Simili modo atque Ovidius, qui Caesaris iussu Romam deserere coactus est, etiam Dantiscus affirmat se iussu regis Polonorum in Poloniam redire coactum esse (v. 39—40):

Iussa mei regis tunc et tunc Caesaris arma  
Exsecrabar et hoc ire quod angor iter.

Singulare est quod Dantiscus, ut dolorem suum exprimeret, non elegiam quandam eroticam ad imitandum sibi proposuit, sed tristissimam illam elegiam Ovidianam. Ac tamen, si omnes poetae Polono-Latini Ovidianos locos in suum usum verterunt, unus est ex eis qui revera „Ovidii Polonorum“ nomen<sup>15</sup> sibi promeruit: Clementem Janicium dico. Iam ipse titulus „Tristia“, quem libro suarum Elegiarum indidit, indicat poetam Polonum se cum Ovidio artissimis vinculis connexum esse credidisse. Tristis erat poeta Polonus, cum Patavii procul a terra paterna studiis vacaret et morbo gravi oppressus solitudinem suam sentiret. Neque mirum est, si in Elegiis suis praecipue Epistulas ex Ponto et Tristia imitatus est. Composuit etiam poema de Vita sua, in qua celeberrimum carmen Ovidianum (Tr. IV 10) ad imitandum sibi proposuit. Scripserat Ovidius Trist. IV 10,41:

Temporis illius colui fovique poetas  
Quotque aderant vates rebar adesse deos.

Simili modo Janicius (Tr. VII 35):

Tum primum nomen magni immortale Maronis.  
Audiui et nomen, Naso beate, tuum;  
Audiui, colere incepti dixique poetis  
Post divos terras maius habere nihil.

Scripserat Ovidius (Tr. IV 10, 57 sq.):

---

<sup>15</sup> Hoc nomen indidit Ianicio Simon Starowolski (saec. XIII) Scriptorum Polonorum Hecatonas c. 95 p. 125.

Carmina cum primum populo iuvenalia legi,  
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.

Simili modo Janicius (VII 49/50):

Carmina cum pleno recitavi prima theatro,  
Addideram menses ad tria lustra novem.

Scripserat Ovidius IV 10,91:

Manibus hoc satis est. Ad vos studiosa revertor  
Pectora, quae vitae quaeritis acta meae.

Simili modo Janicius V 91/2:

Haec sat erunt. Ad te, nostri studiose, revertor,  
Ut de vita habeas omnia nota mea.

Sed etiam in aliis poematis Ovidiani loci deprehenduntur. Simili enim modo ut Ovidius, qui de „carmine et errore“ quem commisit queritur (First. II 1), etiam Janicius de quodam suo crimine ad Petrum Kmitam protectorem suum loquitur:

Deliqui fortasse aliquid, sed maxima multis  
Qui donas toties crimina, parce mihi.

Flebilis poeta Polonus reapse Ovidio exuli aliqua ex parte consimilis est, ut verus poeta tamen exemplar suum numquam serviliter sequitur<sup>16</sup>.

Neque diminuta est auctoritas Ovidii in secunda saec. XVI parte, postquam lingua Latina primum locum linguae Polonae in poesi cedere coacta est. Quamquam enim „pater“ poeseos in lingua Polona scriptae Nicolaus Rey (1505—1568) monebat Polonos, ne Ovidium et Horatium utpote „nimis difficiles“ legerent, et Metamorphoseon libros utpote „fabulas lascivas“ continentes condemnabat. Joannes Kochanowski (1530—1584) tamen, modernae poeseos Polonae creator, non solum in elegiis Latinis, quas iuvenis Patavi conscripserat, sed etiam in poematis Polona lingua scriptis haud semel Ovidii vestigia pressit. In elegiis Latinis saepius praeter Tibullum et Propertium imitatus est etiam Ovidianam Artem Amatoriam et Amores et Heroides; in poemate Polono q.i. „Epicedion Joannis Tęczyński“ in scaena qua filia regis Sueciae Tęczyński valedicit conformanda scaenam Ovidianam, in qua Alcyone Ceycis discessum deflet, imitatus est (Met. XI 411), etiam elegiam Tr. I 2 in usum suum vertendo. Haudquaquam serviliter exemplar Ovidianum

<sup>16</sup> *De Ianicio Ovidii imitatore* cf. L. Ćwikliński, Klemens Janick poeta uwieczniony, Kraków 1893, J. Mosdorf, *O wpływie Owidiusza na Janickiego*, Meander XII (1957) 377—398.

<sup>17</sup> cf. T. Sinko, *Echa klasyczne w literaturze polskiej*, Kraków, 1923, 41 sqq

sequendo, pulcherrime etiam epistolam Penelopes ad Ulixem lingua Polona reddidit (Carmina I 17), quod iam e primis carminis Cochano-viani verbis apparet: „Sol iam occidit, tenebrosa nox advenit“. Quod carmen Cochano-vianum adeo Polonis adamatum fuit, ut eius textus syllogis carminum popularium includeretur<sup>18</sup>. Etiam Nicolaus Sęp Szarzyński (1550—1581) venustissime in carminibus amatoriiis Polona lingua scriptis haud semel Ovidii vestigia pressit. E.g. citandi sunt hi versus ex Amoribus (II 10):

Ecce duas uno tempora turpis amo;

Utraque formosa est, operosae cultibus ambae. . .

Pulchrior hac illa est, haec est quoque pulchrior illa,

Et magis haec nobis, et magis illa placet.

Szarzyński autem: „Catherina et Anna gratiosae et pulchrae. Ambae iisdem flammis cor meum excruciant. Illa hac, haec illa in sermone graciosior, et ego nescio quae sit iucundior. Unum hoc scio me utramque sine modo amare. Qui id fieri possit nescio, sed amorem sentio“. Initium cepit poema, ut videmus, ab Ovidii imitatione, exiit in celeberrimam confessionem Catullianam<sup>19</sup>.

Eodem anno quo, Sęp Szarzyński diem supremum obiit (1581), exorta est fabella de Ovidio Polono nec non de Ovidii sepulcro in Polonia exstante. Fortasse fabula de Ovidio Polono paulo est antiquior; fabula tamen de sepulcro Ovidiano certe demum a. 1581 in lucem emer-sit. Occasionem ad fabulam de Ovidio Polono creandam dederant verba ipsius poetae, qui bis (Trist. I 12, 58 et Epist. ex Ponto III 2,40) fatetur: „nam didici Getice Sarmaticeque loqui“. Cum autem iam saec. XV exeunte historicus Polonus Joannes Długosz Polonos Sarmatas antiquos esse asseveraret et saec. XVI-o haec opinio late divulgaretur, non solum apud Polonos ipsos primum erat opinionem proferre Ovidium, qui Sarmatice (id est Polonice) loqui didicisset, Polonum vatem in Polonia diem supremum obiisse. Ac tamen demum a. 1581 illi fabulae de Ovidio Polono summus cumulus accessit, cum humanista Polonus Jeremias Wojnowski Laurentio Muellero legato<sup>21</sup> Germanico et alliis peregrinis hospitibus persuasit, ut secum trans Borysthenem iter sus-ciperent, cum asseveraret se illis Ovidii Nasonis sepulcrum ostendere velle. Qui cum secundum narrationem Muellerianam sex dierum itinere trans Borysthenem per vastissima loca progressi essent, in amoenam quandam et viridem vallem pervenerunt. Tum Wojnovski eos exhorta-

<sup>18</sup> cf. St. Windakiewicz, *Jan Kochanowski*, Kraków 1930, 172.

<sup>19</sup> cf. T. Sinko, *Echa* etc. 57.

<sup>20</sup> cf. T. Ulewicz, *Sarmacja*, *Študium z problematyki słowiańskiej XV i XVI w.* Kraków 1950.

<sup>21</sup> L. Müller, *Polnische, Liffländische und andere Historien*, Lipsiae 1589. Citavi secundum G. Przychocki, *Grób Owidiusza w Polsce*, Warszawa 1920, 6.

tus est, ut gramen demeterent. Quod cum fecissent, remota humo repente monumentum lapideum invenerunt, cui inscripti erant hi versus:

Hic situs est vates, quem Divi Caesaris ira  
Augusti Latio cedere iussit humo;  
Saepe miser voluit patriis occumbere terris,  
Sed frustra; hunc illi fata dedere locum.

Locus, quo illud monumentum inventum est, situs erat, ut narrat Mueller „ad fines Graeciae. . . non procul a Ponto“. Non est cur huic narrationi Muellerianae fidem derogemus; statuendum igitur est in Polonia a. 1581 spurium sepulcrum Ovidii cum spurio epitaphio fortasse ab ipso Wojnowski composito exstitisse. Ceterum in memoriam revocandum est illis temporibus humanistas sepulcrum Ovidii multis locis quaesivisse; exstabat etiam falsum Ovidii sepulcrum Savariae in Hungaria<sup>22</sup>. Quae-nam fuerint illius lapidis a Wojnowskio Muellero et aliis monstrati fata nescimus; mentionem eius facit Possevinus in *Historia Familiae Gonzagarum* ubi scribit, id saxum a Wojnowskio inventum deinde sex bobus in Poloniam Maiorem advectum esse et se ipsum illud Gnesnae vidisse<sup>23</sup>. Epitaphium spurium inclusum est saec. XVII collectioni Monumentorum Sarmatarum a Simone Starwolski curatae (Cracoviae 1955). Fabula de Ovidio Polono cellerime in Polonia divulgata est. Etenim iam circa a. 1590 Petrus Wężyk Widawski, cum paraphrasin suam „Ovidii Philomelae“ Stanisław Karśnicki dedicaret, non dubitavit hos versiculos excudere: „Ovidius in nostram terram venit et linguam Polonam discere non gravatus est . . . Hic factus est Polonus et, quamquam iam diu mortuus est, tamquam si hodie natus esset, ubique inclarescit“. Quin etiam saec. XVIII (a. 1756) in collegio Iesuitarum Posnaniensi<sup>24</sup> causa in tribunali Apollinis instituta est, cuius problema audit: „Ovidius quinam sit vates Polonus an Romanus. Discussa et decisa in Parnasso Posnaniensi classi Collegii Societatis Iesu, Illustrissima Iuventute poeseos arbitra“. Litem diiudicat Apollo his verbis:

Parcite iam votis, capit aequam Sarmata laurum,  
Lesbica quandoquidem metra Naso notaverat atque  
Se Lechum scripta testatur voce: proinde  
Lechiadum numero Nasonem adiudico vatem.

Singulare est quod fabella etiam in manuali historiae litterarum Polonorum. a. 1840 a M. Wiszniewski conscripto repetitur sed non sine ironia ab docto auctore tractata. Scribit enim vir doctus; „Dubitari igitur nequit Ovidium culices repellendo in Polessia versus Polonos composuisse“<sup>25</sup>. Eandem historiunculam non sine iocis enarravit etiam poeta Polonus Syrokomla in versiculis „De Ovidio in Polessia commorante“. Aliquid tamen veri in fabella exstare credidit Augustus Bielowski,

<sup>22</sup> cf. G. Przychocki o.c. 4 sqq.

<sup>23</sup> cf. G. Przychocki o.c. 10.

<sup>24</sup> cf. R. Skulski, *Owidiusz — Polakiem*, EOS 1913, 74—81.

<sup>25</sup> M. Wiszniewski, *Historia literatury polskiej*, 1840 vol. I 180.

cum in „Prolegomenis criticis ad historiam Poloniae“ a. 1850 conscriptis asseveraret Ovidium exulem ultimos vitae annos apud Popielum I Kolysko fabulosum principem Polonum peregissee. Nimirum Bielowski illum fabulosum principem Kolysko neminem alium fuisse putabat nisi Cotym Thracum regem, cuius ab Ovidio fit mentio (Ep. ex Ponto II 9). Addendum est ad fabulam de Ovidio Polono corroborandam et dilatandam non minimi momenti fuisse etiam nomina montium et lacuum in Polonia sitorum, qui nomen Ovidii referre videbantur, velut est e.g. lacus Ovedove in Polessia aut Ovidhora (Mons Ovidii), quae nomina tamen nihil cum Ovidio habent commune, sed cum Slavico vocabulo „obid“ (circuitus) cohaerent<sup>27</sup>.

Historiuncula de Ovidio Polono ad finem perducta<sup>28</sup> redeamus necesse est ad Ovidii in litteris Polonis historiam adumbrandam. Atque secunda quidem saec. XVI parte Metamorphoseon libros praecipue Polonis placuisse docet et epyllion Latina lingua a Christophoro Kobylański scriptum q.i. „Metamorphoseon puellae et pueri liber unus“<sup>29</sup> et complures paraphrases episodiorum ex Metamorphoseon libro desumptorum velut sunt Andreae Jelite Dembowski (+ 1577) Atalanta, Iudicium armorum, Thysbe cum Pyramo; Actaeon Andreae Zbylitowski (1588) Filomela Petri Węzyk Widawski (ca 1590). Ex his omnibus episodiis plurimum Polonis placuit fabella de Pyramo et Thisbe, quae etiam diversis modis ab eis tractata est<sup>30</sup>. Etenim cum Dembowski enixe nitebatur ut paraphrasin epicam Ovidiani exemplaris lectoribus offerret, Joannes Smolik (natus circa 1555) fabulam 42 brevibus (octo syllabas continentibus) versiculis pertractavit ita ut non tam epicae narrationis sed potius carminis popularis speciem prae se ferret. Addidit etiam flebilem lamentationem carminis popularis modos sine dubio secutus: „Lamentare, pater, lamentare flebiliter. Perit filius tuus per errorem. Lamentare, mater, cucullum tristem cape. Lacrimae dolorem excitent crudelem. Testes erant fontes, testes estote, silvae, per omnia tempora: Erant secum in solitudine. Amore non fructi sunt, quem sequebantur, ut eius florem decerperent. Breviter hic fuerunt, ut post mortem una viverent.“

Plane alia ars conspicua est in poemate ab Adriano Kitnowski de eadem fabula composito (Cracoviae 1644). Etenim stilum redundantem illorum temporum secutus non dubitavit Kitnowski exemplar

<sup>28</sup> A. Bielowski, *Wstęp krytyczny do dzieł Polski*, Lwów 1850, 392—395.

<sup>27</sup> *Słownik folkloru polskiego*, pod redakcją J. Krzyżanowskiego, Warszawa 1965, 290.

<sup>28</sup> De fabula de Ovidio Polono atque poetae sepulcro in Polonia scripserunt: R. Skulski, *Owidiusz Polakiem*, EOS 1913, 74—81; G. Przychocki, *Grób Owidiusza w Polsce*, Warszawa 1920, T. Mikulski, *U grobu polskiego Owidiusza* in *Prace historyczno-literackie ku czci J. Chrzanowskiego*, Kraków 1936; J. Krókowski, *Owidio in Polonia nella leggenda e nei fatti*, EOS L (1959/60), 155—175; *Słownik folkloru polskiego* pod red. J. Krzyżanowskiego, Warszawa 1965, 289—290.

<sup>29</sup> cf. J. Krzyżanowski, *Paralele*, Warszawa 1961, 29—30; Christophori Kobylański, *Epigrammatum libellus*, ed. Lidia Winniczuk, Warsaviae 1961, 17.

<sup>30</sup> cf. R. Skulski, *Mit o Piramie i Tyzbie w iiteraturze polskiej*, Lwów 1924.

Ovidianum novis comparationibus nec non apparatu mythologico et audacibus et vividis imaginibus ditare et locupletare. Poema epigrammate funebri clauditur ab ipso Kitnowski composito: „Hic unum cor iacet, duo iacent corpora. Hic Pyramum et Thisben Amor sepelivit, qui cum ardet, accendit. Amboque vixissent, si amoris ignes suos extinxissent. Mors ludit non solum in Martii certamine. Etiam in pace mortem parant Cupido et Venus“. Alio denique modo fabulam de Pyramo et Thysbe Heraclius Lubomirski (1636—1702) reddidit artificiosis versibus „octavis“ qui vocantur usus<sup>31</sup>. Ceterum Metamorphoses saec. XVII saepissime in Polonia lectas esse documento sunt duae Metamorphoseon traductiones in linguam Polonam his temporibus factae: a Jacobo Żebrowski (1636) et a Valeriano Otwinowski (1636). Addendum est fabulas Ovidianas Polonis etiam e scena his temporibus notas fuisse. Etenim in theatro „italico“ regis Vladislai IV-i repraesentabantur his temporibus opera musica Italica quorum argumenta hausta erant ex Metamorphosis velut Galatea (1628) aut Daphne (1635 et 1638) et alia<sup>32</sup>. Ac tamen non solum Metamorphoses sed etiam Heroides animos Polonorum illis temporibus devinxisse documento sunt Heroidum in linguam Polonam traductiones ab Hieronymo Morsztyn (mortuus ca 1625) et ab Adalberto Chrościński (1695) factae<sup>33</sup>. Nec deest etiam „Medicaminum faciei“ paraphrasis Polona a. 1605 ab Anonymo quodam, qui semet ipsum Gładkotwarski i.e. „Homo pulchrae faciei“ nominavit, confecta<sup>34</sup>. Qui cum praecepta Ovidiana satis fideliter iteraret, non dubitavit tamen ea quae a Polonis aliena erant omittere et materiam Ovidianam vere Polonis fucare coloribus. Laudabat Ovidius hordeum Lybicum (Med. faciei 51), Polonus tamen affirmat non opus esse Polonis Lybico hordeo, cum in Polonia et Lithuania optimum hordeum nascatur; materiamque Ovidianam dilatando laudes cervisiae Polonae ex hordeo factae canit. Omittit etiam et Sabinas et regem Tatum et purpuram Tyriam et alia quae Romam et Ovidianum luxum redolent, in eorumque locum aurium insignia arabica Polonis notissima substituit mel Polonum et lac caprinum, cuius nulla apud Ovidium fit mentio, collaudat. Amabant igitur et admirabantur Ovidium Poloni illorum temporum, admirabatur eum etiam clarissimus poeta Mathias Casimirus Sarbiewski (1595—1640), qui nomen Horatii Christiani sibi promeruit, in suo opere q.i.: „De perfecta poesi sive Vergilius et Horatius“<sup>35</sup>, quamquam Vergilii et Horatii admirator fervidus Metamorphoses Ovidianas „falsis poseos speciebus“ adnumeravit quae ut ait „habent quidem ex arte connexionem eamque summo ingenio confectam non

<sup>31</sup> S. H. Lubomirski, *Poemat „Piram i Tisbe“* ed. R. Pollak, Posnaniae 1929

<sup>32</sup> cf. G. Krókowski o.c. 165.

<sup>33</sup> cf. G. Krókowski o.c. 166

<sup>34</sup> cf. K. Kumaniecki, *Echa Owidiusza w polskiej literaturze mieszczańskiej*, Meander V (1950) 563—573

<sup>35</sup> M. K. Sarbiewski, *O poezji doskonałej czyli Wergiliusz i Homer* (De perfecta poesi sive Vergilius et Homerus), przełożył M. Plezia, opracował St. Skimina, Wrocław 1954.



tamen ex natura ipsarum actionum (p. 24, 34) ideoque (p. 27, 13) ab heroica poesi excluduntur“. Revera tamen Sarbievium Ovidii admiratione captum fuisse docent non solum ea quae de arte metrica Ovidiana scripsit<sup>36</sup>, quam maximis laudibus extulit, sed etiam vehementissima in eos qui elegiacos Romanos contemnant (p. 154, 7) „Imperiti sunt ergo grammatici et penitus naturam poeseos ignorant quorum tota plebs concitata temeritate, paene fustibus et saxis impetit Propertios, Tibullos, Ovidios quasi ipsi privatos suae impudentiae affectus in volugus edere non erubuissent. Pleni enim sunt commentarii grammaticorum huiusmodi conviciis, quibus magis obscurarunt ipsos poetas, eorum finem et artem penitus ignorantes“. Quamquam ipse optime agnovit artem elegiarum amatoriarum scriptorum his cautis verbis invecitivam suam concludit: „Cavendum tamen revera est immaturae aetati ab illorum lectione, licet fortasse honestum intenderint finem, hoc est imitationem calamitosorum amantium“. Ipse, ut ex eius tractatu apparet, praecipue captus erat admiratione illius scenae Ovidianae (Ex Ponto III, 2, 45—92), qua Orestes ab Iphigenia agnoscitur, nec non Ibide, de quo hoc iudicium protulit (p. 155, 8): „Eodem modo iambographis, quorum est proprium male dicere et conviciari, propria est eadem universalitas. Itaque Ovidius in divinissimo suorum operum in Ibin materiam et artificium iambographorum consecrans maledicit re vera et execratur imprecaturque mala satis aperte iuxta eandem regulam.“ Quamquam igitur Sarbiewski Vergilio et Horatio palmam tribuit, etiam Ovidium admirabatur et hic illic flosculos Ovidianos poematis suis inseruit<sup>37</sup>.

De imitatione Ovidiana apud poetas Polonos saec. XVIII-o vi-  
gentes non ita multa dici possunt, nisi quod Stanislaus Trembecki, ce-  
leberrimus illorum temporum poeta, in poemate q.i. „Zofiówka“ (v.  
183—234), Ovidii narrationem de Peleo et Thetide (Met. XI, 228—264)  
imitatione expressit<sup>38</sup>. Addere licet in commentariis, qui Varsoviae  
annis 1770—1777 ab editore Varsoviensi Michaelae Groell sub titulo  
„Zabawy przyjemne i pożyteczne“ in publicum emittebantur, saepius  
translationes Ovidii in linguam Polonam apparuisse<sup>39</sup> Xavery Choloni-  
ewski domus Somni descriptionem (Met. II, 692 sq.)<sup>40</sup> Tomasz Eys-  
mont epistolam ex Ponto I, <sup>141</sup>, Michał Kończa eiusdem epistolae frag-  
mentum (I, 1, 69—80)<sup>42</sup>, Anna Hennenkówna Tristium libri IV el.  
8-am in linguam Polonam traduxerunt<sup>43</sup>. In iisdem commentariis igno-  
tus etiam quidem translator apparet, qui sub litterulis J.D.K. vel J.D.M.

<sup>36</sup> St. Skimina, *Owidiusz w twórczości Sarbiewskiego*, Meander XII (1957) 356-359.

<sup>37</sup> cf. St. Skimina o.c. 372—376.

<sup>38</sup> cf. G. Krókowski o.c. 167.

<sup>39</sup> cf. G. Pianko, *Rola czasopism z okresu. Oświecenia w propagowaniu studiów nad antykem* III, Meander XIX (1964) 233.

<sup>40</sup> „Zabawy“ vol. III, 1771, pars 2, 317—318.

<sup>41</sup> „Zabawy“ vol. XIV, 1776, pars 2, 401—407.

<sup>42</sup> „Zabawy“ vol. IV, 1771, pars 2, 402.

<sup>43</sup> „Zabawy“ vol. XIII, 1776, pars 2, 293—297.

latere maluit. Transtulit autem Epistulas ex Ponto 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10<sup>44</sup>. Ceterum Ovidium etiam illa aetate carum Polonis fuisse ex eo elucet, quod parietes Scholae Militaris, a Stanislao Augusto ultimo Polonorum rege conditae, exornatae erant picturis scenas ex Metamorphosis Ovidianis repraesentantibus<sup>45</sup>.

Ex romanticis qui vocantur poetis summus Polonorum poeta Adam Mickiewicz adulescens Ovidii admiratione captus elegiam I-am libri IV-i Tristium in linguam Polonam traduxit<sup>46</sup>. Valde dolendum est ex hac traductione bellissima nonnisi 14 versus nostram aetatem tulisse. Postea, cum vir triginta annorum (a. 1829) exul Romae vitam degeret, terrae paternae desiderio captus fata sua deflens sese cum Ovidio exule comparabat<sup>47</sup>. Ac tamen in clarissimo eius poemate epico q.i. „Pan Tadeusz“ rarius Ovidii quam Homeri et Vergilii vestigia apparent. E.g. citandi sunt versus Metamorphoseon, quibus Ovidius Dianae vultum cum purpurea aurora comparat (Met. III, 183 sq.):

qui color infectis adversi solis ab ictu  
nubibus esse solet aut purpureae aurorae,  
is fuit in vultu visae sine veste Dianae

nec non versus Met. VI, 46 sqq.;

Sed tamen erubuit subitusque invita notavit  
ora rubor rursusque evanuit, ut solet aer  
purpureus fieri, cum primum aurora movetur

quos in suum usum bellissime vertit poeta Polonus<sup>48</sup>, cum herois sui iuvenis Thaddaei pulchritudinem cum aurora conferret his versibus: „Vultus viatoris colore exarsit roseo ut nubes, cum in Auroram incurrit matutinam“ (I, 132 sq.). Neque aliter res sese habet cum descriptione venationis, quae in libro IV-to poematis Poloni legitur; quae descriptio hic illic exemplar Ovidianum videtur redolere (Met. VIII, 328 sqq.). Apud Ovidium iuvenes venantur aprum Calydonium, apud poetam Polonum ursum. Sunt tamen in ipsa descriptione quaedam similitudines<sup>49</sup>. E.g. scribit Ovidius Met. VIII, 338 sq.:

hinc aper excitus medios violentus in hostes  
fertur ut excussis elisi nubibus ignes.

<sup>44</sup> „Zabawy“ vol. XIV, 1776, pars 2, 384—397; vol. XV 1777, pars 2, 343—370; 391—400.

<sup>45</sup> cf. Z. Batowski, *Owidiusz w Szkole Rycerskiej*, Przegląd Warszawski III 1923, vol. 2, 170—175.

<sup>46</sup> T. Sinko, *Mickiewicz i antyk*, Wrocław — Kraków 1957, 175

<sup>47</sup> T. Sinko, *ibidem* 325.

<sup>48</sup> St. Simina, *Echa klasyczne w „Panu Tadeuszu“* Stromata in honorem Cas. Morawski, Kraków 1908, 149.

<sup>49</sup> cf. St. Skimina o.c. 151

Poeta autem Polonus: „auditur e profundis fragor, denique ex densa silva ut ex nubibus excidit ursus fulminis instar.“ Alio poematis loco (XII, 800) poetae Polono imaginem saltantium cum imagine ingentis serpentis mille volumina volventis comparanti sine dubio ante oculos obversabatur imago serpentis Martii ab Ovidio in *Metamorphosis* (Met. III, 32—49) depicta<sup>50</sup>. *Metamorphoseon* vestigia quaedam etiam apud Iulium Słowacki, celeberrimum poetam romanticum, hic illic detegi possunt<sup>51</sup>. Etiam minores poetas romanticos Ovidium adamasse docet anonymi cuiusdam poetae poema romanticum de Pyramo et Thisbe. Ipsa fabella vere romantico stilo est pertractata. Legimus enim de nocte atra umbras suas dissipante, de lunae pallidae lumine, de Pyramo vere romantico in campo in tenebris errante<sup>52</sup>.

Restat ut breviter in memoriam revocemus satis longam esse etiam seriem translationum Ovidii poematum in linguam Polonam saec. XIX factarum. E multis translationibus a Georgio Krókowski commemoratis<sup>53</sup> liceat hic tantummodo optimam translationem *Metamorphoseon* a Brunone Kiciński a. 1825/6 confectam laudare. Non desunt etiam translationes saec. XX publici iuris factae velut sunt translatio Juliani Ejsmond „*Artis amatoriae*“ (a. 1922, 1928, 1957) aut Thaddaei Myśliński translatio „*Medicaminum faciei*“ (Warszawa 1926) et Thaddaei F. Hahn translatio eiusdem poematis (1933). Addendum est non deesse etiam fragmenta „*Metamorphoseon*“ in linguam Polonam his ultimis temporibus translata, velut est e.g. pulcherrima translatio fabellae de Narcisso (Met. III 411—510) a Kazimiera Jeżewska a. 1951 (Meander VI 1951, 508 sq.) confecta nec non translationes fragmentorum *Tristium* a J. Sękowski (Meander X 1955, 271 et 445) et a Maria Wojtowicz (Meander XVII 1962, 196—195; *Trist.* III 7) confectae. M. Wojtowicz etiam *Amores* II 4 (Meander XVI 1961, 474) et *Epist. ex Ponto* IV 8 (Meander XVII 1962, 236 sq.) in linguam nostram transtulit. Haec omnia diserto sunt testimonio Musam Ovidianam semper Polonis admirationem movisse et nunc quoque movere. Neque in scholis mediis quae vocantur Ovidium neglegi non est cur admoneamus. Non fefellit igitur spes vatem Sulmonensem, cum haec (Tr. III 3, 61—64) vaticinaretur:

Nam si morte carens vacuum volat altus in auras

Spiritus et Samii sunt rata dicta senis,

Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras

Perque feros Manes hospita semper erit.

Warszawa.

K. Kumaniecki.

<sup>50</sup> cf. T. Sinko, ibidem 450.

<sup>51</sup> cf. T. Sinko, *Hellenizm Słowackiego*, Warszawa 1925, 29, 103. sqq, 232 adn. 2.

<sup>52</sup> cf. R. Skulski, *Mit o Piramie i Tyzbie w literaturze polskiej*, Lwów 1924, 22—24.

<sup>53</sup> G. Krókowski, *Ovidio in Polonia nella leggenda e nei fatti*, EOS L (1959/60) 167 sq.